

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Joh. Andr. Qvenstedii, SS. Theol. D. & Prof. Publ. Ordin. in
Acad. Witteberg, Ethica Pastorum, & Instructio Cathedralis,
sive Monita, Omnibus ac ...**

Quenstedt, Johann Andreas

Wittebergæ, 1708

VD18 13565508

XVI. Orandi studium nunquam intermittat, nec unquam suggestum ascendat,
nisi praemissâ seriâ ad Deum precatatione.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-213082](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-213082)

illud, wie billig/etwa/nehmlich/und dergleichen &c. vel gestibus indecentibus utuntur, hæc & alia diligenter advertat & observet accuratus censor & observata sincerè & fideliter indicet. Censoris seu Monitoris officium tradit *Carolus Regius* Lib. III. *Christ. Orator.* cap. XII. & XIX. quem hic consule.

XVI.

Orandi studium nunquam intermit-
tat, nec unquam suggestum ascen-
dat, nisi præmissâ seriâ ad Deum pre-
catione.

Ἐξήγησις.

Oratione ad Deū, & Oratione ad homi-
nes Pastorum cura definita est. Hinc A-
postoli *Actor. VI. 4.* Nos, inquit, *Orationi &*
Ministerio verbi *προσκαρτεροῦμεν*, vulg. *instantes*
erimus, *Beza & Arias Montanus, perdurabimus*;
Eraſmus, Incumbemus. Etsi enim omni nego-
tio inchoâdo & prosequendo orationis præ-
ſidia prima & præcipua sunt. Nam ut rectè ait
Chrysostomus Homil. LXV. in *Genes. Sacrificiū*
precum, si quid incepturi sumus, Domino prius of-
ferendum. Nihil ritè, nihilque prudenter ho-
mines sine Deorum immortalium consilio,
hono-

honore, ope auspicari, inter Ethnicos verè affirmavit *Plinius*, inter Christianos verissimè *Nazianzenus*, qui *optimam ordinis rationem esse*, ait, *cujusque operis à Deo facere exordium*. ταῦτεν ἀρχὴν εἶναι παντὸς ἀρχομένου λόγου καὶ πράγματος, ἐκ δεξιῶν καὶ ἀρχοῦναι, καὶ εἰς δεξιὸν ἀναπαύεσθαι. Ipsiustamen Sacerdotis curæ, negotiique, gerendi caput cum primis orationem esse assiduam & frequentem non dubito. *Augustinus* lib. IV. de Doct. Christian. cap. 15. inquit; Munus suum ut præstet Ecclesiasticus Orator, *magis pietate orationum opus esse, quàm Oratoris facultate, ut orando pro se & pro illis, quos est allocuturus, sit orator, antequam doctor*. Ehe ein andächtiger Behter für Gott / als ein Prediger für der Gemeine. Fundat autem Evangelii Præco ardentes ad Deum preces ante ipsam Concionem cum parandam, tum habendam, Deum immortalem! quanti est, frugiferam, & salutarem parare concionem! Quoniam verò omne datum bonum & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre lumen, Jac. I. 17. ideo initium struendæ Concionis sumat Minister Verbi à Fonte, supplexq; veneretur Deum, ut ipsum in veritatis tramite dirigat, & Spiritu suo sancto mentem, salamumque gubernet, ut nihil sentiat, nihil

consignet, nisi quod Deo gloriosum & Ecclesiæ salutare sit. Ascensurus cathedram, jamque dicturus apud populum, Deum invocet, ut sermonem bonum det in ore ejus, juxta monitum Augustini loc. alleg. cap. XXX. Si enim regina oravit Esther (pergit idem) pro sua gentis temporaria salute loquutura apud regem, ut in os ejus Deus congruum sermonem daret; quanto magis orare debet, ut tale munus accipiat, qui pro aeterna hominum salute in verbo & doctrina laborat. Ein Prediger / siehe er auf die Kanzel steigt / und zu predigen anfängt / soll hinauf zu Gott in Himmel steigen durch Gebeth und meditation. Ipsa hora jam ut dicat, accedens, priusquam exerat proferentem linguam, ad Deum levet animam sitientem, ut eructet, quod biberit, vel quod impleverit, fundat. — Quis enim novit, quid ad presens tempus, vel nobis dicere, vel per nos expediat audiri, nisi qui corda omnium videt? Et quis facit, ut quod oportet, & quemadmodum oportet, dicatur a nobis, nisi in cujus manus sunt & nos & sermones nostri? ut iterum loco citato pie disserit Augustinus cap. XV. Dexterius loquitur cum hominibus, qui prius tota mente cum Deo fuit collocutus, inquit Erasmus in Ecclesiaste lib. III. pag. 608. Refert Plutarchus de Pericle, uno

uno ex magnis Græcorum Oratoribus, quod ad dicendum semper timidè accesserit, nec prius exorsus sit, quàm Deos precatus esset, ne quod verbum excideret imprudenti, quod minus ad rem pertineret, vel auditoribus offensionem afferre posset. D. Brentius dicere est solitus, Ego nunquam ascendo suggestum, quin fiat magnà cum reverentiâ & devotione, quia scio, Deum & angelos mihi adesse. Ipsi Apostoli Evangelium de Christo docturi hoc modo orasse leguntur Actor. IV. 29. Domine, da servis tuis, ut cum omni libertate Verbum tuum loquantur. Solebant quoque Patres concionaturi, precibus sese ad arduum hoc munus præparare, ut ex supra adductis Augustini verbis manifestum est. In S. Ambrosii (qui juxta nomen suum verè cœlesti manat ambrosiâ,) Orationibus ad populum habitis Orat. III. hæ leguntur preces; Obsecro Domine, & suppliciter rogo, da mihi semper humilem scientiam, quæ adificet, & da mitissimam & sapientem eloquentiam, quæ nesciat inflari & de suis bonis super fratres extolli. Pone quæso in ore meo, Verbum consolationis & adificationis & exhortationis per Spiritum S. tuum, ut bonos ad meliora valeam exhortari, & eos, qui perverſè gradiuntur, ad tuam rectitudinis lineam revocare verbo & exemplo. Sint verba,

quæ dederis serbo tuo, tanquam acutissima jacula & ardentes sagittæ, quæ penetrent & incendiant mentes audientium ad timorem & amorem tuum. Nec tantum in initio, sed & in media sæpe concione à Priscæ Ecclesiæ Doctoribus preces sunt adhibitæ. Sic S. Chrysostomus, in media Tractatione, si quid difficile occurreret, ad preces solebat delabi, ut Homilias ejus legenti patebit. Finitâ etiam Concione Verbi Minister sublatâ ad Deum mentem ac manu preces illi offerreat, & pro revelatione divinæ veritatis gratias devotas agat. Quicumque igitur in hoc sacro munere versatur, nunquam Orationem à Concione separaret: Præcedat illa, sequatur hæc, hancque iterum illa claudat. Et ut verbo dicam, Præcatio sit prora & puppis studii Theologici & muneris Ecclesiastici. Instantia Orationis sit perpetua Concionum comes. Quia enim Deo ipso maximè opus habet Doctore Concionator, ideò divinum auxilium assiduis precibus postulandum ipsi est. Wohl gebehret / ist halb studieret / inquit B. Lutherus. S. Chrysostomus ad Titum cap. 1. Homil. 1. scribit; Doctores Ecclesiæ precibus indigent, ac longè plus cæteris, ut quibus plus necessitatis imminet, plusque periculi divinæ offensionis incumbit. Oret autem Deum Evangelicus Operari-

rari-

rarius non tantum pro se ipso, sed & progre-
ge sibi commissio, imò pro salute totius Ec-
clesiæ. Sic orandi Magister & artifex summ9,
Christus Jesus oravit non tantum pro Apo-
stolis, sed & pro illis, qui per doctrinam A-
postolorum credituri erant, usque ad finem
mundi, Joh. XVII. 20. seq. Genuinus Christi
discipulus, Paulus Apostolus longè plus sine
dubio orationibus egit, quàm concionibus,
plus lacrymis & gemitibus, quàm exhortati-
onibus, hinc audis ipsum Rom. I. 9. & 10. *De-
um sibi testem advocantem, quod sine intermis-
sione in orationibus suis memoriam eorum faciat :*
pro *Corinthiis* semper gratias agentem Deo,
1. Cor. I. 4. pro *Ephesiis* genua flectentem, ut
Christus habitet per fidem in cordib9 eorum,
Eph. III. 14. Pro *Philippensibus* omnib9 semper
in cunctis orationibus cum gaudio deprecantem,
Phil. I. 4. *Colossensibus* non cessantem po-
stulare & orare, ut agnitione DEI impleantur,
Coloss. I. 9. *Thessalonicensium* memori-
am facientem in orationibus suis sine inter-
missione, 1. Thessal. I. 2. Quamobrem hu-
jus divini Magistri exemplum sequutus Ver-
bi Minister die ac nocte supplicet DEO pro
salute Ecclesiæ. Sic *Ambrosius* præsentem
& futurum Ecclesiæ suæ statum sollicitis
DEO precibus commendavit, ut refert *Phi-*
lippus